

Chrysididarum species novae vel parum cognitae (Hymenoptera).

Auctore

Andrea Semenow, petropolitano.

(Cum fig.).

I.

Pseudochrysis rusalka, sp. n.¹⁾

♀. *Achrysis* (sensu nostro)²⁾, minor, sat lata, breviuscula, uniformiter sinaragdino-viridis, capite thoraceque opacis, abdominis segmentis basalibus subopacis, 3^o opaco, solum mesonoti lobo medio basi cyaneo, scutello ad latera vix subaurato, cavitate faciali laete cyanescenti-viridi, clypeo ad marginem anticum anguste aurato, abdominis segmentis 2^o et 3^o ipsâ basi cyaneo-nigrâ, 3^o toto caerulescenti-viridi, ad latera caeruleo, ventris segmentis basalibus azureis, 2^o medio duabus maculis rotundis nigris signato, 3^o laete viridi-caeruleo immaculato; tegulis mesonoto concoloribus, pedibus caerulescenti-viridibus, tarsis articulo basali fusco-testaceo, ceteris articulis pallidius testaceis; superficie totâ (meris lateribus

¹⁾ Nomen mythologicum rossicum.

²⁾ Cf. A. Semenow: Horae Soc. Ent. Ross., XXVI, 1892, p. 486.

capitis et thoracis vix disperseque pilosiusculis exceptis) glabra. Antennis sat longis gracilibusque fusco-testaceis, ad apicem pallescentibus, scapo viridi, articulo 2^o tertiique basi superne leviter virescentibus s. cyanescentibus, scapo articulis sequentibus tribus unitis paulo brevior, pedicello articulo 3^o plus quam sesqui (circ. 1,75) brevior, 4^o tertio fere duplo, secundo paululum brevior. Capite magno, summam pronoti latitudinem manifeste superante, aspectu desuper haud brevi, aspectu a fronte fere triangulari, confertissime minuteque reticulato-punctato-coriaceo; vertice valde convexo; cavitate faciali parvâ neque profundâ, minutius adeo confertim subrugoso-punctulatâ, longitudinaliter sulcatâ, nudâ, superne plicâ indeterminatâ arcuatâ longissime a stemmate anteriore distante vix perspicue terminatâ; clypeo subelongato, ad marginem anticum nitidulo, minus crebre punctato; genis brevissimis, 4^o antennarum articulo paulo brevioribus; mandibulis intus ante apicem subobtusè dentatis; temporibus sat latis, introrsum obliquis; oculis late ovalibus, magnis, valde convexis. Pronoto brevi, lateribus prope medium subsinuato, ad angulos posticos subporrectos manifeste dilatato, angulis anticis fere rectis, apice haud truncato, sensim convexo-declivi, toto confertissime minute punctato-coriaceo, medio ad marginem anticum indeterminate sulciformiter vel potius foveiformiter impresso; mesonoto longitudinem pronoti plus quam sesqui superante, convexo, eodem modo ac pronotum sculpto, lobo medio latissimo, suturis parapsidalibus oblitteratis, mesopleuris similiter atque mesonotum sculptis, supra sulco carentibus, parte inferiore sulco profundo arcuato limitatâ infra dentiformiter uniangulatâ; tegulis eodem modo atque mesonotum confertim sculptis; scutello convexo vix grossius quam mesonotum subcoriaceo-reticulato-punctato, suturâ anticâ simplici, haud impressâ; postscutello aequabiliter sed valde convexo paulo crassius reticulato-punctato; angulis postico-lateralibus metathoracis sat magnis, extrorsum prominulis, retrorsum subarcuatis, apice minus acutis. Abdomine modice brevi, oblongo-subovato, capite thoraceque simul sumptis manifeste longiore, segmento dorsali 1^o basi mediâ fortiter impressâ exceptâ sat minute confertimque rugoso-punctato, 2^o minutius et fere simpliciter confertim punctato, vestigio obsoleto carinae longitudinalis signato, 3^o confertissime ruguloso-punctulato; segmento 2^o primo et tertio (singulatim) manifeste longiore, convexo, angulis postico-lateralibus obtusis; segmento 3^o sat elongato, triangulari,

dorso non convexo, longius ante seriem anteapicalem levissime transversim impresso; supra eam haud incrassato, serie anteapicali, margini postico valde approximata, longâ, haud immersâ, et foveolis minutis punctiformibus parumque discretis numero circiter 20 compositâ, margine apicali angustiusculo, latera versus angustissimo eodem modo ac dorsum segmenti constructo, colorato et sculpto, apice angulum subobtusum formante; lateribus segmenti ad initium seriei anteapicalis angulum distincte prominulum efficientibus, dein ad basim usque rectis. Segmentis ventralibus subtilissime alutaceis, omnibus margine postico medio leviter inciso-emarginato. Segmentis protractilibus (tubulo) brunnescenti-testaceis, 5^o dorsali longitudinaliter sulcato, ad basin saltem tribus plicis acutis transversalibus instructo, margine laterali utrinque 5-denticulato, denticulis extrorsum valde eminentibus; ventrali 5^o apice in spinulam deorsum deflexam producto. Femoribus anticis confertissime, fere sicut pronotum, punctato-coriaceis, sparsim parce pilosellis, intermediis et posticis laevigatis atque sicut tibiae subtiliter pubescentibus; tibiis summo apice testaceis; tarsorum posteriorum articulo basali reliquis unitis perparum brevior. Alis fere vitrino-limpidis, iridescentibus, venis dilute fuscis; cellulâ radiali valde incompletâ, latissime (usque ad medium) apertâ.

♂ mihi ignotus...

Long. ♀ 5,5 mm.

Prov. Transcaspica: Serachs ad fl. Tedshen (D. Glasunow! 1893).—Solum specimen (1♀) (coll. P. Semenov).

Solum *Pseudochrysid* *unicolori* Dahlb. affinis, a qua differt imprimis colore smaragdino-viridi, superficie totâ glabrâ, antennis articulo 3^o in ♀ quarto subduplo longiore, fronte carinulâ undulatâ carente, cavitate faciali etsi parum, tamen manifeste impressâ, angulis postico-lateralibus metathoracis aliter formati, abdominis segmentis dorsalibus aliter sculptis, 3^o aliter constructo, etc.

***Parnopes glasunowi*, sp. n.**

♂. *P. grandiori* (Pall.) proximus simillimusque, sed minor (semperne?), gracilior, capite, thorace, abdominis 1^o segmento dorsali limbo marginali ut in *P. grandiore* formato excepto laete viridi-

smaragdinis s. aurato-viridibus, reliquâ abdominis parte testaceâ distincte purpureo-relucente, tegulis pallido-, extus dilutissime-testaceis, coxis femoribusque thoraci concoloribus, solum femoribus posticis infra, sicut trochanteribus omnibus, plus minusve dilute brunneis, femorum apicibus, tibiis tarsisque nec non antennarum flagello duobus primis articulis nonnihil infuscatis exceptis pallido-testaceis, mandibulis apice obscurato excepto testaceis; antennis articulo 3^o sequentibus duobus unitis paulo brevioribus; ligulâ cum maxillis brevioribus, summam longitudinem capitis cum mandibulis parum superante; temporibus margine postico medio retrorsum valde anguliformiter eminente, capite toto paulo minus confertim et minus rude sculpto; pronoto brevioribus, magis transversis, laxius, fere non rugiformiter, tamen irregulariter crasse punctato, pube fere experte, lateribus fortiter sinuatis, angulis anticis non solum divaricatis, sed etiam valde spiniformiter extrorsum porrectis, angulis posticis retrorsum extensis; mesonoto valde remote crasse punctato, scutello laxè grosseque scrobiculato, scutelli mucrone utrinque haud denticulato, sublobato (semperne?); metathoracis angulis postico-lateralibus multo acutioribus, apice fere spiniformiter porrectis atque manifeste extrorsum prominulis; mesopleuris crasse et distincte, etsi subconfuse scrobiculatis, margine postico lobulo subreflexo atque nonnihil dentiformiter eminente (etiam aspectu desuper); tegulis latioribus, magis disperse grosse punctatis; abdominis segmentis dorsalibus omnibus medio multo laxius punctatis, lateribus magis convexis, segmento 4^o magis elongato, margine postico apice angulum multo magis acutum productumque efficiente, denticulis spiniformibus magis perpendiculariter deorsum directis armato, quorum duobus apicalibus inter se approximatis ac magis prominulis (semperne?); ceterum cum *P. grandiore* congruens.


♀ mihi ignota.

Long. ♂ 9,5 mm.

Turkestan occid.: Jagnob: Rovat (D. Glasunow! 12. VII. 1892).
—Solum specimen (1 ♂) (coll. P. Semenov).

A ceteris congeneribus imprimis iisdem signis atque *P. grandior* Pall. discrepans praetereaque angulis anticis pronoti magis adeo quam in *P. madecassâ* Sauss. spiniformiter porrectis.

Nominavi hanc speciem in honorem cari amici, qui eam detexit.



P. grandior. P a l l. *P. glasunovi* S e m.
(Segmenta abdominalia 3um et 4um
maris aspectu desuper).

Parnopes schmiedeknechti M o c s. 1900.

Non dubito, quin haec insignis species pertineat ad genus peculiare, quod a *Parnope* Latr. imprimis ligulâ maxillisque brevibus fere ut in *Chrysidibus* genuinis formatis, palpis maxillaribus valde evolutis 5-articulatis, labialibus longis quoque 3-articulatis sec. descriptionem figurasque Buyssonis³⁾ differt. Cui novo generi nomen **Isadelphus** altribuendum speciemque *Isadelphus schmiedeknechti* (M o c s. 1900) nominandam propono.



³⁾ B u y s s o n: Rev. d'Ent. Franc. 1900, pp. 157, 158, tab. I, fig. 1.

Русск. Энтом. Обзор. 1901. №№ 1—2. (Май).